

05

A

1317



Q. R. V.

De,

COLUMNIS
AENEIS TEMPLI
SALOMONIS
JACHIN ET BOAS
PRO LOCO

In Ordine Phil. legitime obtento
differet

PRAESES

M. AUGUSTINUS VAGETIUS,
RESPONDENTE
FRANCISCO JOANNE GERDES,
Hamburgensi,

In Auditorio Majori
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
Die XVIII. Julii A. AE. C. M. DC. XCV.

VITEMBERGAE,
Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typogr.



05 A 1317



uod ad regularum *Architecturae* originem at-
tinet, in allegandis *Veterum* testimoniis fi-
dem *Vitruvii* saepissime dubiam reddere cona-
tus est *Villalpandus*. In qua tuenda jam semel
partibus nostris defuncti subsistere hic possemus,
cum satis superque actum videri queat, quicquid require-
batur. Namque documenta haud infirma adduximus, quae
nec ipse *Villalpandus*, nec ejusdem defensores unquam la-
befecerunt. At cum ita sese gerat, ut pro re nata mox
Vitruvii & *Graecorum* regulas fundamenti loco ponat, mox
easdem corrigat, firmiora circumspicienda sunt, & certio-
ra. Quae ut obtineamus, omnino refugiendum est ad
ipsum sacrum Codicem. Hic enim solus omnia arcana reclu-
dat oportet, quae quidem ad praesens institutum pertinent,
& revelari ulla ratione possunt, atque ad hujus normam re-
vocanda sunt interpretum asserta de praesenti materia. Hoc
vero magni molimenti negotium est, cum in *Historia* sacra
finem suum non semper assequantur interpretes, nisi ipsa
antiquitatis abscondita rimentur, quae in tot scriptoribus
Hebraeis abstrusa latent. Quos non imbuto eruditione *Tal-*
mudica, aliis quae longius arcessendis subsidiis destituto vix
datum est intelligere, siquidem antiquitatis cognitione solida
fruendi desiderio feratur. Parum abest quin vereamur, ne i-
dem etiam hic nobis usu veniat; unde ab instituto facile
possemus deterri. Praecipue cum destituamur omni appa-
ratu, quem e sacro fonte debemus expectare, siquidem
exigenda foret angustia regularum *Architecturae* in minimis
partibus & structurae membris. Istum vero apparatus
frustra

frustra quaeras necessum est, cum Spiritui Sancto propositum nunquam fuerit minima quaelibet indigitare. Ut causa sit, cur eo magis suspecta habeatur fides Villalpandi, ex mero silentio multa velut indubitata vendicantis, multa etiam pro certo asserentis, & fundamenti loco habentis, de quibus adhuc sub iudice versatur controversia. Quapropter statim ab initio profiteamur, omnino accuratam descriptionem nos non polliceri, quin potius aliquatenus prodire gloriosum ducimus, quando ultra ferme prohibemur. Satis habentes tutiorem sectari viam, dum incerta quaedam non dissimulamus, quam si majora polliceri satageremus, atque curta adeo supellex subministrat. Neque vero plane deferenda lis videtur, in qua negotium gloriae divinae asfertoribus etiam faceffitur. Est enim genus hominum quod miro novandi studio tenetur, inprimis quando veritatis Divinae res agitur: tum vero exferit ingenii vim, sapientiam ipsam stultitiae suspectam reddere volupe habens. Horum fama quamvis alias in obscuro futura forte non esset, si conciliare magis, quam committere sacrarum literarum scriptores studerent, tamen nolunt lectores omnis expertes curae esse, quae animum etsi non flectere a vero, sollicitum tamen efficere possit. Atque nodum in scirpo ut quaerant operae pretium ducentes, specioso vulgi animos obtentu occupant, quasi vero soli humanae industriae accepta ferenda sit Historia sacra, & sacrum foedus pro divinis oraculis obtrudatur, neque multum pensi habitum sit quam accurato ordine omnia scriberentur. Alacres itaque prorumpunt, tanquam hostes ex occasionibus affilientes, pugnantia quaerunt in ipso DEI verbo, unde simpliciorum animi specie inani falluntur, & in Ecclesia non leves turbae cientur. Quod si argumenta his opposueris omni fide carentia, sane optima causa pessime defendetur. Quapropter examinanda por-

da parro sunt ratiorem pondera, quae tanto cum studio
Villalpandus urget. Ante omnia de proportionem moduli ad
columnam utramlibet videbimus, unde non obscure discrimen
Graecorum ac Latinorum, a sacro ordine patet.

SECTIO I.

I.

Recentiores, quos Villalpandus vocat, Architecti non
nihil a se invicem discedunt in proportionem crassitiei
ad altitudinem columnae. Neque ullus ordo reperitur,
qui non suppediet quandoque occasionem in memori-
am revocandi quae ex Perraltio *Diff. I. SECT. II. n. 14.*
adduximus.

II. *Tuscanus* quidem pro simplicissimo alias habetur,
at non aequalis tamen ei ab omnibus mensura concedi-
tur. Septem diametros s. modulos magnos sive quatu-
ordecim modulos medios Vitruvius, Palladius, & Vigno-
la assignant. Semidiametrum addendum censet Scamoz-
zius. Serlio duodecim moduli medii placent. Columna
Trajani sedecim modulis mediis in altum porrigitur. Haec
tamen *Augustino D'Aviler* regularis nomen mereri non
videtur; *Cours d'Architecture qui comprend les ordres De*
Vignole p. 8

III. *Primi Dores* modulum assumere diametrum ba-
seos quae duodecima pars esset altitudinis, teste Vitruvio
lib. IV. cap. I. qui duobus modulis mediis semidiametro
aequalibus eam auxit in templis, unum superaddidit in
porticibus templorum. Scamozzius ordini huic septen-
decim, Vignola sedecim tribuit.

IV. Novendecim moduli medii dati sunt Amphithea-
tro, quod in media urbe Vespasianus aedificavit & Titus fi-
lius dedicavit, hodie Coliseum vulgo dictum, ut Philander

putat a Colosso Neronis qui haud procul fuit. Imperfectum tamen multi dixerint structurae genus, si triglyphi & metopae desunt, uti *Carolus Augustinus D' Aviler* testatur, qui in compluribus antiquitatum monumentis perinde ac recentioribus eadem ornamenta desiderari observat, *Cours d' Arch. p. 2.*

V. Splendidum Tarpejo monti accubans Marcelli Theatrum, cujus elegantiam & proportionem juxta regulas artis optime compositam vix laudibus extollere satis potest saepissime laudatus Architectus in Gallia Regius, uti antiquissimum est, & Triglyphorum ac metoparum incomparabili distributione ornatum, ita a Vitruvii quinque aedium speciebus abit. Modulos accepit quindecim cum duabus tertiis partibus.

VI. Nec minor diversitas in *Ionica* dispositione reperitur. Vitruvius altitudinem septendecim metitur modulis mediis, duae tertiae partes superadditae sunt in Theatro Marcelli; novendecim circiter in Amphitheatro Vespasiani reperiuntur, Octodecim placuere Palladio, sedecim Serlio. Unam tertiam partem addit Vignola.

VII. *Corinthius* ordo in variis antiquorum monumentis investigatus non minus documento est varii Architectorum ingenii. Namque celebre illud Romanorum Pantheon, quod olim JOVI ULTORI ab Agrippa dicatum, deinde a Bonifacio III. Pont. Rom. SANCTAE VIRGINI AD MARTYRES consecratum, in praesens vulgo SANCTAE MARIAE ROTUNDAE nomine in Urbe aeterna cernitur, non potest non pro singulari exemplo tam pulcri ordinis haberi, quo tam in exteriori quam interiori parte elegantissime decoratum est. Hujus vero porticum ornant Columnae Corinthiae novendecim modulorum longae.

VIII. A-

VIII. A qua mensura non multum abierunt Architecti Templorum Pacis, ac Vestae, quod Romae est, non quidem veterum illorum, ea enim Commodi imperante ex improvise consumpta incendio sunt, uti Herodianus testatur, sed recentiorum. Eadem ferme mensura in Templo Antonini & Faustinae reperitur, inque Porticu Septimii, nisi quod minutis quibusdam recedunt.

IX. Vitruvius quidem exacte intra novendecim sese continet, a quo tamen alii abierunt, uti videre est in Templo Tiburtino, quod alii Vestae, alii Herculi sacrum, alii domicilium Sibyllae fuisse arbitrantur. Singulos suo abundare sensu facile patimur. Interim adhuc ibi rudera visuntur antiqui aedificii, cujus columnae Corinthiae sedecim modulis mediis in altum porriguntur.

X. Habet tamen Vespasiani Amphitheatrum ejusdem ordinis columnas, quarum altitudinem metiuntur septendecim moduli, & quod excurrit. Paulo magis in longum protensas videre licet in Arcu triumphis insigni quem IMP. CAES. FL. CONSTANTINO MAXIMO. P. E. AUGUSTO S. P. Q. R. posuit. Serlius hanc mensuram superat eique tribuit octodecim modulos. Vingtiperiuntur in columnis Basilicae Antonini.

XI. Ordinis *Compositi* initia Celeberrimus *D Aviler* inde ab eo tempore arcessit, cum Tito Imperatori arcum Triumphalem S. P. Q. R. poneret, quod praeceptis Patris consiliisque & auspiciis gentem Judaeorum domuerat & urbem Hierosolymam deleverat. Putatque citatus Auctor primum hoc aedificii genus fuisse, aequae novum ac Ordo quo decorata erant frontispicia. In isthoc autem monumento observantur Romani ordinis columnae viginti modulorum mediorum.

XII. Interim Scamozzius hanc proportionem non nihil

hil mutat, & mensuram dimidio modulo minorem assignat. Contentiens in hoc cum Architecto Templi quod Baccho sacrum fuisse nonnulli et si lubricis argumentis putant, quoniam in volutis repraesentatae vites & ejusmodi generis plura ornamento sunt, & sarcophago porphyrio qui ibidem conspicitur varia Cupidinis hilarioris simulacra, vasa item uvis repleta aliaeque res Baccho olim sacrae decus praebent. Neque multum differt ab hac proportione Arcus triumphalis IMP. CÆS. LUCIO SEPTIMIO M. FIL. SEVERO a S. P. Q. R. positus. De recensitis hisce mensuris antiquorum monumentorum conferendus omnino est Perraltius, in *ordonnance des cinq especes des colonnes selon la methode des anciens*, ubi etiam aequae insignem varietatem in trabeationibus, epistylis, basibus, stylobatis, aliisque membris egregie & accurate observatam exhibuit.

SECTIO. II.

I. Ita vero adsunt exempla satis idonea praecipue quod attinet ad ordinem Corinthium, qui in monumentis passim conspicitur, si non Vitruvio coaevis, at non longe post ipsius tempora exstructis. Ubi quidem diffiteri non possumus ab eodem plurimos saepius abiisse, prouti proportionem magis aucta vel etiam nonnihil imminuta delectati fuerunt. At nemo tamen reperietur alicujus nominis Architectus, qui in pretio habeatur & infra sedecim modulos in Corinthio descendat ordine.

II. Deinceps vero patefcet, columnae sacrae proportionem toto coelo ab hisce omnibus, imo a Villalpando ipso differre.

III. Sequitur quidem hic Auctor Serlium, quando ex sacro fonte octodecim modulorum altitudinem demonstrare ausu pertinaci satagit. Quam opinionem

si ita

si ita confutaverimus, quemadmodum connexio antecedentium & consequentium circumstantiarum necessario postulat, non solum pro certo constabit diversum esse Villalpandum a mensura sacra, verum etiam vel ex hoc videri poterit, quo jure quave injuria, si non Vitruvius, at tamen Graecis ante Vitruvium, imputatum fuerit aperte crimen, quod aedificandi regulas ex templo Salomonis, & praecipue ex columnis aeneis hauserint, atque adeo praeter meritum sibi vindicaverint honorem primae inventionis.

IV. Operae autem pretium sine dubio fecerimus, si e textu ipso eruere conantes veritatem, de verbis non nihil sumus solliciti. Etsi enim detrectemus falcem mittere in alienam messem, tamen necessitate quadam adducimur subire quod alias subterfugere omnino debemus.

V. Ante omnia igitur Hebraeus textus, deinde aliorum versiones in subsidium vocandae sunt, quantum quidem inde expectare licet, non praetermittentibus Lutheri versionem in multis defendendam locis, cui vulgatam ut praeferamus nullo modo obstringit veritas. Ordine autem acturis, omnia loca Sacri codicis huc transferre non inutile censemus, ideoque audiendus primum erit Spiritus Sanctus I. Reg. VII. commate 15. ita loquens.

וַיֵּצֵר אֶת שְׁנֵי הָעַמּוּדִים נְחֹשֶׁת שְׁמֹנֶה עָשָׂר אַמָּה
קוֹמָתָם הָעַמּוּד הָאֶחָד וְחוּט שְׁתֵּי עָשָׂר אַמָּה וְסָב
אֶת-הָעַמּוּד הַשֵּׁנִי

Cujus mentem Vulgatus ita exprimit:

Et finxit duas columnas aereas, decem & octo cubitorum altitudinis columnam unam: & linea duodecim cubitorum ambiebat columnam utramque.

B

Septua-

Septuaginta interpretes sic vertunt : Καὶ ἐχάνουσ' τὰς
 δύο σύλας τῷ αἰλᾷ τῆ οἴκῃ, καὶ ὀκτωκαίδεκα πήχαις ὑψοῦ τῆ
 σύλας, καὶ τὸ ἀεμετρον ποσαρες καὶ δεκα πήχαις ἐκύκλυν αὐτὴν
 (καὶ τὸ πᾶν τῆ σύλας ποσαρων δακτύλων τὰ κοιλώματα)
 καὶ ἕτως ὁ σῦλ' ὁ δεύπερ'.

Lutherus.

Und machte zwo eherne Seulen/ eine iegliche achtze-
 hen Ellen hoch/ und ein Fadem von zwölff Ellen war
 das Maaß umb iegliche Seule.

Belgica.

Want hy vormde tvvee Koperen Pilaren, de hoogte
 des eenen pilaers vvas achtiën ellen, ende een draet van
 twaelf ellen omvingh den anderen pilaer.

Versio Judeorum Germanica.

Da formet er zwey kupfferne Seuler/ die Höchte der
 einen Seul war achtzehen Ellen; und eine Schnur
 von zwölff Ellen umbringelte den andern Seul.

Gallica.

Il fondit donc deux colonnes d' airain, la hauteur de
 l' une des colonnes étoit de dixhuit coudées: & un fil de
 douze coudées environnoit l' autre.

Commate quidem 41. & 42. denuo mentio fit earun-
 dem columnarum, sed reservabimus haec verba donec
 magis ad scopum pertinebunt. Praesentis enim instituti
 nondum est de membris & ornamentis columnarū agere.

Quin properamus potius, ad II. Reg. XXV. comma 17.

וְהָיָה אֲשֶׁר־הָיָה אֶמְתָּ קוֹמַת הָעֲמֻדָּה

Vulgata: Decem & octo cubitos altitudinis habebat co-
 lumna una.

LXX. interpr. ὀκτωκαίδεκα Πηχέων τὸ ὑψοῦ τῆ σῦλ᾽
 τῆ ἐνός.

Luthe

Lutherus.

Achtzehen Ellen hoch war eine Seule;

Versio Belg.

De hoogte eenes pilaers vvas achtien ellen.

Versio Judaeorum Germanica.

Die Höcht einer Seul war achtzehen Ellen.

Vers. Gall.

Chaque colonne avoit dixhuit coudées de haut.

2. Paralipom. III. commace 15.

וַיַּעַשׂ לִפְנֵי הַבַּיִת עַמֻּדִים שְׁנַיִם אֲמוֹת שִׁלְשִׁים וְחֲמִשׁ אֶלֶן

Vulgatus: Ante fores etiam templi duas columnas, quæ triginta & quinque cubitos habebant altitudinis.

LXX. Καὶ ἐποίησεν ἑμπαρῶσθαι τὰ οἴκα ὑψὺς δύο, πᾶρχαυ ὑψιῶντα πέντε τὸ ὕψος.

Luther.

Und er machte für dem Hause zwo Seulen / fünff und dreißig Ellen lang.

Vers. Belg.

Noch maekte hy voor het Huys tvvee pilaren van viif en dertigh ellen in lenghte.

Versio Judaeorum Germanica.

Und er machet vor dem Haus zwen Seulen / fünff und dreißig Ellen lang.

Vers. Gall.

Et au devant de la maison il fit deux colonnes, qui avoyent trente cinq coudées de longueur.

Tandem Jeremias etiam consulendus est qui cap, LII. inquit v. 21.

וַיַּעַמְדוּ שְׁמֹנֶה עֶשְׂרֵה אֲמָה קוֹמָה הָעַמֹּד הָאֶחָד וְחֹמֶת

שְׁתֵּים-עֶשְׂרֵה אֲמָה יִסְבְּנוּ וְעִבּוּ אַרְבַּע אַצְבָּעוֹת נִכּוּב

Vulgat: De columnis autem, decem et octo cubiti al-

B 2

titu-

titudinis erant in columna una: & funiculus duodecim cubitorum circuibat eam: porro grossitudo ejus quatuor r digitorum & intrinsecus cava erat.

LXX Interpret: καὶ οἱ σῦλοι τριακοντὰ πέντε πηχέων
ὑψ. τῷ σῦλῳ τῷ ἐνός, καὶ σπαρτίον δωδεκάπηχυ κύκλῳ αὐτοῦ.
καὶ τὸ πῆχυ αὐτοῦ δακτύλων τεσσάρων κύκλῳ.

Versu Lutheri.

Der zwo Seulen aber war eine iegliche achtzeihen Ellen hoch/und eine Schnur zwölff Ellen lang reichte umb sie her/und war 4. Finger dicke / und inwendig hol.

Vers. Belg.

Aengaende de pilaren, achtien ellen vvas de hooghte eenes pilaers, ende een draet van twvaelf ellen omvingh hem: ende siine dickte vvas vier vingeren [ende] hy vvas hol.

Versio Judaeorum Germanica.

(Was da angeht) die Seuler / achzehen Ellen waren die höcht einer Seul / und ein Fadern von 12. Ellen umbringelt ihn / und seine dickte das war vier Fingers ausgehohlt.

Vers. Gall.

Or quant aux colonnes, chaque colonne avoit dix-huit coudées de haut, & un filet de douze coudées l'environnoit: & son repaisseur estoit de quatre doigts & estoit creuse.

SECTIO. III.

I. Villalpandus utriusque Columnae adeo teneram fuisse & aspectu jucundam dispositionem contendens ac si optime ornatam virginem aspiceres, temperare nequit laudes quibus proceritatem earum extollat. Quod si probabilia conjectura sequi hic liceat, forte non vano
nec

neca re ipsa alieno nomine JACHIN alteram, alteram
BOAS dictam fuisse credideris.

II. Nempe Salomo jam ultimam manum huic tam
magnifico operi impositurus, columnas sine dubio in per-
petuum voti sui monumentum erexit, precatus, ut quem-
admodum singulare in proportionem isthac *robore* esset, inq;
robore mira *firmitas*, quae praeter exemplum stabile cor-
pus utriusque columnae efficeret atque ostentaret, ita
Templum istud, & Divina Ecclesiae magnificentia ac
majestas a DEO Immortali immota sede sisteretur, quam
nec propria debilitate & gracilitate aliquando ruere, ne-
que ulla vi externa disjici aut ulla ratione unquam lice-
ret labefactari. Imo si hoc vel maxime ira Divina per-
mitteret, invalescente ipsorummet Israëitarum negligencia,
& pristina virtus decoquat, ardore Divini cultus de-
fervescente, spem saltem optimam reddere testatam vo-
luit, fore, ut tot tantisque magnificis symbolis, velut
in obscura imagine, repraesentatus DOMINUS GLO-
RIAE longe firmitus aliquando redderet regnum post sae-
cula in aeternum duraturum, atque *σύλον καὶ ἐδραίωμα*
τῆς ἀληθείας tutum contra portas inferorum collocaret
in quo divini coetus tuto semper acquiesceret.

III. Hanc spem, hoc votum publice ad posteros notum
esse cupiens, forte non posthabita elegantia, sed in pri-
mis rationem habiturus firmitatis praeter exemplum so-
lidae, quae in omnium oculos incurreret, columnam u-
tramque in conspectu omnium collocatam esse voluit,
& nomine convenienti appellatam, quod incomparabilem
firmitatem in tanto robore denotaret.

IV. Nostrium non est meliori cujusvis intercedere sen-
tentiae, id tantum conjicere ita licebit, nomen si respi-
ciatur, non nihil forte latere, unde primarium finem ex-

structae utriusque columnae non fuisse admirandam praeter ceteris elegantiam gracilitatis, sed stupendum ante omnia robur ac soliditatem tanti monumenti, aliquo argumento liceat inferre.

V. Nec omni ex parte a nobis alienus est *Kimchius*, qui boni ominis causa nomina haec columnis data asserit. *IACHIN* nempe, ut firmetur haec Aedes in perpetuum, uti David olim *Psalm. LXXXIX comm. 38* fuerat gloriatus, *sedem suam*, DEO sic iubente, stabilem in saecula futuram per saecula; *BOAS* autem, ut in ea sit robur, sive ut DEUS illi det robur & stabile reddat, quem admodum David canit, *IEHOVA robur populo suo*.

VI. Elegantia nihilominus eas decoratas fuisse satis patebit; illud autem elegantiae genus inficiamus quod Villapandus defendere tanto cum studio allaborat,

SECTIO IV.

I. Hisce praemissis, ut in arcem causae tandem penetremus, lubet de crassitie nonnihil dispicere & simul attendere ad altitudinem.

II. In eo nobiscum jam consentit Villapandus, decem & octo cubitorum altitudinem singularum fuisse. At num cubitus pro modulo medio sit assumendus, hoc vero est, quod non solum in dubium vocare, sed etiam, negare atque pernegare audemus.

III. Nolumus jam litem nostram facere, sitne pro certo asserendum quod voce עמר columna denotetur, quippe apud Hebraeos notionem communem designat, quae etiam statuae comprehenduntur. Cum enim nulla cogat necessitas hoc loco septuaginta interpretes deferere, aut Josepho contrariari, opinionem ab omnibus receptam retinere satis habemus.

IV. Crassitiem quod attinet, vix credibile fuisset de ea litem moveri posse, nisi ingenium Villalpandi occasionem praebuisset. Sane Spiritus Sanctus rem obscure non exprimit, quando filo duodecim cubitorum circumdatus fuisse singulas columnas disertis verbis asserit I. Reg. VII. commate 15. & Jerem. LII. comm. 21.

V. Perinde est, quale filum intelligamus, cum sufficiat notasse quod longitudo ejus fuerit duodecim cubitorum. Itaque de materia non sumus solliciti.

VI. Interpretatio quam nos sequimur male Villalpandum habet, quare nullum non movet lapidem ut ad sua animi sensa exprimenda eandem trahat. Quippe priori loco vocem *דְּשֵׁנִי*, quae alteram denotat, *secundatam* rectius, quam *secundam* verti, omni animi contentione persuadere legentibus conatur.

VII. Magnam quoque vim infert Chaldaeo Paraphraetae, cujus verba laudat, quod Septuaginta interpretes fuerit imitatus cum ita mentem Spiritus sancti expresserit: *Et perimetrum duodecim cubitorum filum ambiebat, & sic columna secunda.* Verbis autem *& sic* subintelligendum esse: *eodem filo*: sibi enim ita *videri*, quasi dicat Chaldaeus ex mente Spiritus Sancti: *filo duodecim cubitorum cinxit columnam unam, reliqua parte secundam.* Rem ipsam & phrasin a Vulgato expressam esse voce *utramque*, uti Genes. XXI. comm. 31. & Jer. XXVII comm. 45.

VIII. Ipsa quidem Chaldaei verba in se considerata id non evincere arbitramur, neque in textu partem filii reliquam supra duodecim cubitos fuisse reperimus. Quae quidem mens Villalpandi non est, patet tamen exinde, quam invita Minerva in alium sensum detorqueat & Spiritus Sancti & Chaldaei verba.

IX. Quid per vocem, *secundatam*, velit, vix primo in-

intuitu patescit, secundare enim est idem quod auxilium & opem ferre, hinc forte mens ejus fuit, quod sex cubitis absoluta fuerit mensura columnae unius, & cum fili pars residua sex cubitorum esset, ut etiam haec usum reperiret, pro mensura alterius adhibitam fuisse, quod innuere etiam videtur per partem reliquam. Utres eo redeat, *secundatam* idem Villalpando esse quod combinatam & conjunctam utramque, aut duplicatam unam.

X. At enimvero cum eadem utriusque columnae crassities fuerit, non opus erat mensuram duplicare, cum eodem filo unam metiri possent opifices quo alteram. Neque enim ex Historia sacra constat, utramque columnam ita conjunctam fuisse, ut filo uno utraque simul circumdaretur, neque factum id credibile est, praecipue cum ita longe difficilior proportio diametri ad scapum alterutrum investigetur. Quis vero credat DEum per ambages egisse, quod simpliciori Geometria facilius indagare licet?

XI. Rem ipsam quidem Vulgatus omnino accurate per vocem *utramque* expressit, at non eo sensu quem Villalpandus huic interpreti tribuit. Patet sane, vocem *utroque* esse syncategorema, quod Omnia complectitur de quibus Subjectum dici potest, & esse adeo enuntiationem *καθόλου* cui syncategorema hoc praefigitur. Namque Propositio: *Utraque columna circumdata fuit filo duodecim cubitorum*, aequi pollet huic, & *haec columna circumdata fuit filo duodecim cubitorum*, & *illa circumdata fuit filo duodecim cubitorum*.

XII. In Geneseos libro Capitis XXI comma 31 Villalpando nihil quicquam adjumenti praebet. Quippe Moses ibi dicit: *Et vocarunt locum Beer Schabba, quod ibi juraverunt*, שנייהם, *ambo illi*. ubi Enuntiatio latet: *ambo*

ambo ibi juraverunt, hoc est; & Abraham ibi juravit, & Abimelech ibi juravit, unusquisque enim jusjurandum *totum* pro sua parte praestiterat, totum praestiterat Abrahamus, totum Abimelechs, quod etiam non dimidia sed omni ex parte servandum erat ab utroque.

XIII. Neque nostrae sententiae contrariatur Capitis XXVII. comma 45, ubi Jacob dicit: *quam ob causam orbarer utroque vestrum uno die?* Hoc est, uno eodemque die nolo orbari & hoc filio & illo filio. Non necessario dimidius dies requirebatur ad unum filium, altera dimidia pars ad alterum filium perdendum, ita enim inferendum erat, si vel simili vel pari ratione habendus esset locus ex libro Regum Villalpando allegatus.

XIV. Quod si *וְהָיָה* alteram interpretari juxta genuinum vocis sensum malimus, jam inde patebit, unam seorsim sumtam circumdari potuisse duodecim cubitis. Nec dubium est ita loqui voluisse Spiritum Sanctum, ut demonstraret omnino pares ac similes fuisse has columnas, eamque similitudinem & rationem utriusque parem adeo accurate fuisse observatam, ut, mensura inita altitudinis alterius columnae, & circumferentia alterius cognita, mentores de utriusque & altitudine & circumferentia securi esse potuerint. Conf. Io. Heinr. Coccej. Naed. *Onders. van het recht. Verst. van den Temp. Ezech.*

XV. Praeterea, simul sumtarum columnarum circumferentiam duodecim cubitis mensuratam fuisse, salva Jeremiae fide affirmari nullo modo poterit. Afferit enim perspicue satis: unius columnae ambitum fuisse duodecim cubitorum, dicens: *Decem & octo cubitorum erat altitudo columnae unius, & filum duodecim cubitorum, יסבנו, circumdabat eam.*

XVI. Facile viderat Villalpandus hunc locum suae
C non

non favere sententiae, causam tamen deferere nolens, p. 423. l. c. asserit: *Jeremiam, cum lugentis affectum concis-
sis verbis, ac veluti singultibus interruptis exprimeret, quam
Historia vocavit secundam, hoc est utramque, ipsum pro-
nomine quodam duarum literarum, quod affixum vocant,
adiuncto eam dixisse, hoc est: eam utramque, quam dixit
Historia. Idem Iosephum sentire. Imo teste Eupolemo
proportionem negare quod unius columnae crassitudo tanta
fuerit.*

XVII. Neutiquam a veritate aberraverit, qui ita inter-
pretabitur: *una columna altitudinem habebat decem & o-
cto cubitorum, & eadem columna circumdabatur duodecim
cubitorum filo.* Praecipue cum idem affixum verbo se-
quenti ועבוי adhaereat, quod de eadem substrata ma-
teria, ut vulgo loqui amant, agit, Cum tamen e con-
trario Villalpandi explicatio ferat, ut antecedentia &
sequentia ad utramque columnam simul respiciant. Quid
enim impedit, quo minus decem & octo cubitos etiam
duplam fuisse altitudinem unius columnae intelligat, &
utrarumque simul crassitiem fuisse quatuor digitorum?

XIX. Quapropter veritas omnino postulat, ut in tan-
ta luce non confugiamus ad ingeniosiusmodi conje-
cturas, neque in eo licet nobis acquiescere, quod Vil-
alpando ita *videatur.* Locus quidem conjecturis est, at
quae verbo DEI vim non inferunt, quaeque summe ob-
scuro loquendi modo & necessitate ita exigente quasi ex-
torquentur.

XIX. Multo minus convincimur, Jeremiam concis-
sis verbis, ac veluti singultibus interruptis ita lugentis affe-
ctum exprimere voluisse, ut oblivisceretur alterius co-
lumnæ, cum paulo post enumerans partes & ornamenta
omnino addat וכלה לעמוד השני.

XX, ut

XX. Ut Eupolemi auctoritatem hic magni faciamus, nulla cogit necessitas, praecipue si proportionem Graecorum & Latinorum, artificum pro norma habuerit; vel si alia ipsi arriserit symmetria, humani aliquid omnino passus est. Atque hic non possumus non illud monitum ingeminare, quod DEUS proportioni ab hominibus inventae non astringatur, utcunque ingeniose ac eleganter fuerit excogitata.

XXI. Josephum quod attinet, hujus quidem verba ita aliquoties concepta sunt, ut controversia de rei ipsius veritate moveri queat, si, quod facile fieri potest, minus recte quandoque intelligantur. Interim nobis non contrariatur, dicens: κατεσκευάσθ' δὲ ὁ χεῖραμος ἑστος καὶ σύλους δύο χαλκοῖς ἑσώθεν τὸ πᾶχος τεσσάρων δακτύλων, ἦν δὲ τὸ μὲν ὕψος τοῖς κίωσιν, ὀκτωκαίδεκα πήχεων. ἡ δὲ περίμετρος δέκα καὶ δύο πήχων.

XXII. Tantum, inquam, abest ut Villalpando hic fa-
veat, ut potius nostram mentem perspicue satis exprimat. Si enim utraque simul sumta intelligenda est columna, quando de perimetro agitur, affirmare utique etiam licebit quod mens Josephi fuerit: *Erat autem utriusque simul sumtae altitudo decem & octo cubitorum, utriusque simul sumtae perim eter duodecim cubitorum, utriusque simul sumtae crassities quatuor cubitorum.* Unde necessario sequeretur, uti seorsim sumta alterutra perimetrum habuit sex cubitorum, ita altitudinem quoque novem tantum cubitorum fuisse. Hoc vero concedere cum nequeat Villalpandus, illud etiam ut neget verborum constructio suadebit.

XXIII. Allegat quidem & *Josephi librum XV. Antiq.* ita loquentis: κίωες δὲ ἐφέστησαν καὶ ἀντίσυχον ἀλλήλοις ἵππ' μῆκ' ὅ τετραχα, συνεδίδετο γὰρ ὁ τετραεὶ πῆχ' λιθοδομήτων τείχε'.

τάχῃ· καὶ πάλῃ ἡ ἐκάστη κίον·, εἰς τρεῖς ὁριζήσαντων
 ἀλλήλοις πᾶς ὀργὰς περιλαβεῖν· μήκῃ δὲ ποδῶν κ' διπλῆς
 σπέρας ὑπερλήμμενης· πληθὺ δὲ συμπάντων ἔξῃ κιονοκρα-
 νων αὐτοῖς κατὰ τὸν κορίνθιον τρόπον ἐπεξεργασμένων, γλύφαις
 ἐκπλήξιν ἐμπιέουσιν· ἀλλὰ τὴν τῷ παντὸς μεγαλουργίαν· &c.
 Unde jam satis constare arbitratur, quod salva res sit, di-
 fertis enim verbis affirmari: columnarum capitula opere
 Corinthio sculpta fuisse.

XXIV. Locus autem iste ad praesentem quaestionem
 nil quicquam facit, cum hic describatur templum Hero-
 dis, qui, si Corinthio more aedificavit, plane novum stru-
 cturae genus adhibuit, quam Judaeis veteribus usu rece-
 ptum erat; non alio forte fine quam ut celebre apud poste-
 ros nomen ipsius esset, tam splendido monumento relicto,
 quod Romanos etiam alliceret ad sacra Judaeorum ad-
 eunda ac videnda,

XXV. Ceterum si auctoritas Josephi integra esse de-
 beat, omnino consulenda est tota Historiae connexio.
 Certum est, praeter duo Tempia Hierosolymae non fu-
 isse, id enim e Sacro Codice docemur. Adeoque suspi-
 cio evitanda omnino est, quæ oboriri ex Josephi verbis
 forte possit, quasi ex fundamentis posteriori destructo,
 plane novum successerit.

XXVI. Magnam utique accessionem fecit Herodes, par-
 te etiam ipsius Templi, si Josepho fides, funditus eversa,
 & in hujus locum nova exstructa, additis porticibus maxi-
 mis. Quam sententiam si Villalpandus non rejicit, &
 verbis Josephi inhaeret, vel inde perspicuum fiet, multum
 defuisse debitae magnificentiae ac splendori posterioris
 Templi cum Salomoneo comparati. Idque satis indicant
 verba: περιελάμβανε δὲ καὶ τοῖς μεγίσταις τὸν ναόν, ὅπαντα
 πρὸς τὴν ἀναλογίαν ἐπιτηδεύων, καὶ τὰς δαπάνας τῶν πρὶν
 ὑπερβαλ-

ὑπερβαλλόμενος, ὥς οὐκ ἄλλός τις εἶδει ἐπιπεπονημένος
τὸν ναόν.

XXVII. Tam dissimilis igitur si fuit facies Templi ab Herode novis ornamentis decorati, ut nemo meminerit ita decoratum unquam fuisse, imo si sumtus huic operi impensi priores illos longe superaverunt, quid jam dicemus de ipso Salomoneo longe majoribus exstructo sumtibus, quam vel Templum posterius, vel huic addita ab Herode nova ornamenta. Quapropter non convincimur, pretiosas istiusmodi columnas in posteriori illo fuisse, multo minus ab Herode similes fuisse exstructas. Quin petitionem quaesiti admitteret concludens, columnas aeneas Templi Salomonis fuisse ordinis Corinthii, quia Iosephus ab Herode capitula opere Corinthio sculpta memorat. Ita enim in aprico non est Herodem tales exstruxisse columnas quales Salomo.

XXIIX. Causae nostrae nil quicquam decedit quando obijcitur: Judaeos non passuros fuisse ut admiscerentur ordines profani. Eo enim loco res populi Iudaici tunc temporis constitutae non erant, ut pro arbitrio tenacem antiqui moris liceret esse, postquam sub jugum missus, imo perpeffus erat, ut Pompejus intraret Sanctum Arcanum, uti *Dissert. I. de Column. aen.* ex Iosepho monimus.

XXIX. In cassum urgeur, si in Templo Salomonis non adfuissent capitula Corinthia, Herodem veritum fuisse ornatum istum adhibere, quod favorem populi potiozem habuerit, quam ut ordinem columnarum a sacro recedentem invito illi obtruderet. Ista enim capitula in se spectata nihil profani idolorum cultus

se ferebant , praecipue cum Palmae pariter atque Acanthi foliis exornari possent, nec Palmae folia a Templi ornatu fuissent aliena. Neque adeo sollicitus de favore populi Judaici Herodes erat, quin Aquilae Jovi Sacrae simulacrum aureum portae Templi affigeret, fremere non audentibus Judaeis, nedum motus cientibus, priusquam rumor sine capite iret mortuum Herodem esse, qui vivus tumultum sistere atque animos furentes sedare facile poterat Caesaris praesidio sustentatus. *Conf. Coccej. l. c.*

XXX. Interim Villalpandus, & hujus argumenta ad verbum descripta usurpans ac defendens *W. Goeree*, in libro *d' Algemeene Boekkunde Amstelredami Ann. 1681.* edito, magnum quid egisse arbitrantur, si ex Josepho probare conentur *crassitudinem fuisse*, ut Villalpandus loquitur, *quantam possent tres homines consertis inter se brachiis complecti.* Ergo asserere Josephum, *diameter staturae humanae fuisse, quae par est brachiis extensis.* Inde longitudinem cubiti confirmari quae, quoniam *dimidiam hominis staturam non assequitur, propterea dixisse Josephum consertis brachiis complexos fuisse tres homines columnam, majorem complexuri si manibus manus contingerent, non vero consererent.*

XXXI Ita quidem est, majorem complexuri columnam erant, si manibus manus contingerent non vero consererent, siquidem ἐπιουράπτειν Graecis idem est, quod conserere Villalpando. At non dubitamus manibus manus contigisse, cum verbum ἐπιουράπτειν aliud ut sentiamus non suadeat, ut adeo tres ὀγυιάς sibi junctas circumdeditse columnam credibile sit. Quod si mensura hinc ineunda esset, a Salomone non multum differre

ferre Josephum laudatus Coccejus ex Philologia Graeca demonstrat. Nempe quid ἔργον sit Pollux docet: αἱ δ' ἀμφὶ τὰς χεῖρας ἐκτενείας, αἷς καὶ τὸ ἐργὸν αἰταῖς συμμετρῶν ἔργον τὸ μέτρον, & Etymol. magn: ἔργον σημαίνει τὴν ἐκτασιν τῶν χειρῶν, σὺν τῷ πλάττει τῆς στήθους. πᾶρὰ τὸ ὀρέγειν καὶ ἐκτείνειν τὸ γούνα, ὃ ἐστὶ πᾶς χεῖρας

XXXII. Si ergo pedem Josephus partem sextam staturae humanae intellexit, omnino octodecim pedum fuit circumferentia columnarum quas memorat, erit igitur juxta proportionem Metii

ped. ped.

355. 113 :: 18. $5\frac{25}{33}$ quae est Diameter columnae. Dicit autem Josephus, 27 pedum altitudinem fuisse scapi quemadmodum interpretari placet Villalpando. Quod si concedamus, erit semidiameter $2\frac{307}{54}$ pedum, quae pro modulo accepta atque ad longitudinem scapi collata dabit huic $9\frac{467}{1017}$ modulos, quae quidem proportio a columnarum aenearum ratione vix differt, siue jam scapo capitulum pro more addas, siue seorsim numeres. At Corinthiam hanc esse rationem Goereeus aequè ac Villalpandus negabunt, cujus etiam ordinis modulos aliquos usu receptos supra recensuimus, si vero ad gracilitatem quam Villalpandus quaerit nunquam accedent.

XXXIII. Herodes igitur fortassis & gratiam inire apud populum, & nonnihil affectare Graecorum aedificorum decora conatus est, arbitratus forte Judaeis ipsis arrisuram hanc formam esse, si capitula adderet κατὰ τὸν κορινθίον τρόπον & διπλὴν σπείραν subjiceret. Hinc autem verosimile fit, Josephum per κορινθίον τρόπον intellexisse similitudinem quandam cum Corinthio ordine, quod ad ornamenta capitulorum attinet, nempe tres foliorum ordines, florem, &c.

XXXIV.

XXXIV. Quodsi Iosephus Corinthiam proportionem indicatam voluisset, eo ipso statuendum foret, Virum hunc Architecturae Graecae imperitum fuisse. Quapropter uti nobis, ita Villalpando atque Goereco nihil quicquam adjumenti praebet, in defendenda ipsorum sententia.

XXXV. Jamque eo minus solliciti sumus de opinione Villalpandi, quod *altitudo scapi eadem a Iosepho asseratur quam sacra Historia retulit, illa cubitis, hic pedibus altitudinem definiverit iisdem, quibus cubiti proportionem respondent. Cubitum enim pedis esse sesquialterum, ergo numerum pedum sequialterum esse numeri cubitorum ejusdem altitudinis, quae proportio reperitur inter pedes 27 Iosephi & cubitos 18 Scripturae.* Nam multo magis vexata atque intricata est quaestio de cubiti sacri mensura, quam ut definire certi aliquid audeamus. Sufficit monstrasse, proportionem Iosephi diversam a Templi Salomonis vera proportionem non futuram, si crassities columnarum aenearum cum columnis Templi ab Herode renovati conveniat.

SECTIO. V.

I. Magnum quidem subsidium Villalpandus a Graeca versione petit, quam vulgo LXXII Interpretibus acceptam ferunt. Hos vero *aptissimum esse Vulgatae commentarium* contendit, quippe *exactam Mathematicorum rationem secutos. Qua columnae diametrum & ejusdem adjectionem, quam paulo inferius venter columnae nomine indicarint, & striarum latitudinem, & alia non pauca aperuerint.*

II. Parum pensum habemus, sitne haec Graeca versio
pro

pro commentario Vulgatae accipienda, nec ne. Hanc enim etsi non deferimus nisi quando necessitas postulat, nolimus tamen tantopere de eadem esse solliciti, quam de authentico Hebraeo Codice. Neque movere quenquam debet, quod pro versione habetur Virorum, quos Eleazar Judaeorum Pontifex ex unaquaque tribu senos, & aetate & auctoritate & eruditione in primis commendatos, Hebraice Graeceque peritissimos, Ptolemaeo Philadelpho Aegypti Regi concessit, quosque Justinus seorsim septuaginta duabus domibus inclusos, quarum vestigia ipse in Phari arce Alexandriae viderit, ita rem egisse memorat, ut collatis interpretationibus per omnia inter se consentirent.

III. Namque in vulgus nota res est, in quanta sententiarum divortia multi Ecclesiae Patres iique magni nominis Viri iverint, ambigentes inter sese an adhuc eadem extet versio, postquam & Aquilae Pontici Sinopenfis Adriano imperante, & Symmachi cujusdam Aurelii Veri temporibus, & Theodotionis Pontici e familia sectaque Marcionis, mox Judaeorum Proselyti, singulorum versiones prodierunt, quae tres ab Hieronymo citantur, in praesens autem desiderantur, nisi quod reliquiae nonnullae superesse dicuntur: postquam duae aliae quoque, quarum Auctores ignorantur, repertae sunt, & prior quidem ad Jerichuntem Urbem, imperante Antonino Caracalla, altera vero ad Nicopolin, Alexandro Mammeae filio imperante: imo postquam versio Luciani, Antiochenae Ecclesiae Presbyteri, temporibus Diocletiani emendationem Hesychii aliorumque passa est.

IV. Aristaeas *lib. de LXX interpretibus* & Philo *lib. de*

D

vita

vita Moſis aſſerunt: illam LXX Virorum Interpretationem Hebraeis fontibus convenientiſſimam fuiſſe, redditaque eſſe propria propriis nominibus, Graecis ad Hebraea exacte reſpondentibus, eamque interpretationem a plurimis diſcuſſam, conſideratam, examinatam, antequam in Regis Bibliotheca poneretur, & ab omnibus acclamatum, ſanctè & fideliter ſingula eſſe translata, ut nihil addi demique poſſit. Quorum fide ſi ſtandum tuto eſſet, in propatulo foret, quid ſtatuerere debeamus de ea quae noſtris teritur manibus, cum nihil minus repერიatur, quam ex omni parte perfecta conſenſio cum Hebraeo textu. Interim de eo Hieronymus queſtus jam fuiſſe fertur, quod variis modis vitiata & corrupta ſua aetate extiterit. *Vid. Andreae Wecheli heredum praefatio verſioni huic in fol. praemiſſa Francof. 1597.*

V. Hi ſane heredes Wecheli opera cuiusdam Viri uſos ſeſe teſtantur, qui collatis exemplaribus diverſis, Complutenſi, Argentoratenſi, Antverpienſi, ac Romano varias lectiones collegit, eaſq; ante omnia notavit, quae cum Hebraea veritate melius conveniunt. Notat autem I. Reg. VII. comm. 15 inſignem varietatem, quippe loco verborum τεσσαρες και δεκα πηχεις ενυκλουν αυτον alii legunt: δυο και δεκα πηχεων σπαρτιον ενυκλες αυτον, alii omittunt σπαρτιον, aliis etiam abeſt membrum ſequens parentheſi incluſum. Ceterum ſuperius allegata eum in ſinem prolixius aliquanto adducere placuit, ut hoc loco ob oculos poneretur, quam lubrico fundamento Villalpandus nitratur, Mathematicam rationem in tam vexata interpretatione quaerens.

VI. Ventris columnae mentionem a Spiritu Sancto factam non deprehendimus, neque nobis adeo felici-

bus

bus esse contigit, ut verbum de hac parte columnae paulo inferius in LXX Interpretum versione reperire potuerimus. Interim Villalpandus conjecturas persequitur, & primam imi scapi mensuram ex ea calami in aequas partes sectione colligit, in qua mensura digiti singuli singulis adduntur cubitis, atque adeo cubitis binis, hoc est digitis octo & quadraginta adduntur duo digiti, & sit columnae diameter digitorum quinquaginta. Eum vero numerum fabricae hujus proprium esse asserit, quod confirmaturus pergit pag. 425. Summum hypotrachelium dat nobis circumferentia sex cubitorum. Nam juxta Archimedem

Cub. Cub.

$$22.7 :: 6. \quad 1\frac{10}{11} f. 45. \quad 2\frac{2}{11} \text{ dig.}$$

Esset igitur Diameter ex ipsius mente $45\frac{2}{11}$ ped. Sed, inquit, fractionem abjiciam & summo hypotrachelio dabimus digitos quinque & quadraginta, imo vero quinquaginta, & sic contractio columnae erit ex decima crassitudinis parte, conf. Vitruv. lib. 3. cap. 2.

VII. Non audemus pro certo affirmare, quot digitorum fuerit cubitus Judaeorum vulgaris, nedum cubitus sacer. Etli enim Judaei scriptores asserant, cubitum esse intervallum interjectum inter flexum brachii & summam partem digiti medii, nondum tamen liquet quanta magnitudinis brachium intelligatur. Si dicas, maximi hominis brachium requiri ad hanc mensuram ineundam, res confecta erit, quando constabit de magnitudine maximi hominis. Si enim ponamus, cubitum Saulis, cujus caput inter omnes Israelitas eminebat, verum fuisse cubitum vulgarem Judaeorum, quaerimus adhuc quod digitorum iste fuerit. Neque digito-

rum perfectam mensuram dare licet, antequam & horum proportio fiat vel ad pedem Romanum vel potius ad notio-rem v. g. Rhinlandicum aliumve. Patet enim ex tabulis *Guilhelmi Philandri Castilionii* in *Georgii Agricolae* libros de mensuris & ponderibus, quam diversa variarum gentium mensura extiterit, cum ipsi etiam digiti aequales inter se non fuerint. Pes enim Romanus sedecim digitos capiebat aeqve ac Graecus, & tamen semuncia brevior erat pede Graeco. Patet etiam in praesens quantopere gentes in ulnarum, perticarum, ac pedum mensura discrepent. Tam difficile igitur cum sit certi aliquid statuere, quando *ἀνρίβεια* quaeritur mathematica, manum de tabula merito hic removemus, Villalpando nec refragari nec assentiri aequum ducentes, quamdiu certiores non sumus.

VIII. Temperare tamen nobis non possumus, quin hic denuo urgeamus, Vitruvium a Columnis aeneis differre non debere, si, quod Villalpandus putat, easdem secutus est regulas, quas Spiritus Sanctus; vel rectius loquendo, Vitruvianae regulae a Villalpandinis non differrent, si iisdem usus est Vitruvius quas sequitur ipse Villalpandus. Sane multum hic differt ab omni Architectorum ipsiusque Vitruvii more, quando modulum in hypotrachelio quaerit. Hypotrachelium quidem duplici sensu accipitur, Vitruvio dicitur, ex mente *Philandri* scapi pars quae sub astragalo est, apothesis sive apophysis conflexus. *Bernardinus Baldus* magis perspicue mentem explicat, columnarum partem dicens quae sub astragalo arctatur, & leniter in interiorem partem contrahitur; vel brevius: contracturam summi scapi

scapi columnarum. Alias etiam accipitur pro Dorici & Tuscanici capituli parte, quae inter echinum & columnae astragalum intercedit, quam nonnulli capituli fregium appellant. *Lex. Vitruv. p. 59.* Priorem tamen significationem Villalpandum intelligere non dubitamus.

IX. Si igitur concederemus, sex cubitorum fuisse circumferentiam unius columnae, tantum tamen abesset ut finem suum assequeretur Villalpandus, ut potius novis involveretur difficultatibus. Demonstrandum enim est, Spiritum Sanctum loqui de circumferentia hypotrachelii. Quod in sacris columnis tum demum adfuisse certum erit, quando vox עמוד vel columnae vel hypotrachelii notionibus promiscue communis erit, imo quando columna & hypotrachelium plane eadem significatione venient, quemadmodum ensis & gladius. Neque vero libertas nobis concessa est fingendi hypotrachelion, tacente Spiritu Sancto; neque necessitas ulla cogit ad contracturam confugere, cum ne ipsae quidem Romanorum antae, quae alias aeq; contracturam admittunt atque columnae, semper contrahantur, quemadmodum in templi Antonini & Faustinae porticu Philander observavit. Imo si maxime fieri potuerit ut isthaec scapi columnarum pars subintelligeretur, tamen columnae diameter, quae moduli mensuram indicare debebat, hic non erat quaerenda, ubi scapus maxime contractus & coarctatus supponitur. Veteres basin scapi pro modulo sumserunt magno, & Vitruvius ipsum scapum ipse assumit. Nemo autem hypotrachelii diametro utitur.

X. Villalpandi est arbitrium, non vero ex Histo-

ria oboriens necessitas, quando imi hypotrachelii diametro quinquaginta digitos ex mero beneplacito assignat, summo quadraginta, atque ita cum Vitruvio in gratiam redire sese arbitratur, dum contractionem columnae ex decima crassitudinis parte facit. Ex mente Vitruvii id non fieri, testantur ipsius verba cap. II. lib. III. quem locum Villalpandus allegat. Primo enim, de imo hypotrachelio ad summum relato sermo ibi non est, sed de ima totius columnae crassitudine. Deinde, altum silentium est de contractione ex *decima crassitudinis parte* facienda, quin potius praecipit Architectus ut columnae *quae ab triginta pedibus ad quadraginta alta erit, ima crassitudo dividatur in partes septem & dimidiam; ex his sex & dimidiam in summo habeat contractionis ratione.* Quae erunt a XL pedibus ad quinquaginta, item dividendae sint in octo partes, & earum septem in summo scapi hypotrachelio contrabantur. Si vero contractio Villalpandi ad pedes jam revocetur, qui ex mente ipsius respondent cubitis XXVII, patet quam longe infra decimam partem fuisse debuerit columnarum aenearum contractio, si qua fuerit.

XI. Nondum omni ex parte crassitiei mensuram interitum fuisse Villalpandus arbitratur, quapropter cap. VII. pag. 425, *ventris columnae circumferentiam septem cubitis a LXX interpretibus expressam fuisse* contendit, & facto computo, 54 digitos diametro ventris columnae tribuit. Quod si imum hypotrachelium accipiat pro ea parte in qua nulla adhuc est contractura, columnae diameter & ventris imo limbi diameter pro iisdem haberi possent. Namque intra perpendiculum a limbo

aliu bo scapi erectum sese continere plerumq; solet ventris ecphora, ideoq; 50 digitis contentus etiam esse potuisset Villalpandus. Si vero adjectio ventris columnarum adfuisset, libertas aliis etiam concederetur conjectandi, Spiritum Sanctum mentionem ejusdem perinde ac ventris coronamenti facturum fuisse. Quamvis autem necessitas hujus rei tanta non videatur, credibile tamen est, si diversa crassities adfuerit, potius maximam indicatam fuisse quam minimam. Interim verosimile nobis videtur, ab imo ad summum statuendam aequalem esse crassitiem, quando de una sola sermo fit.

XII. Praeterea superius ostensum jam est, quanto pere vacillet dictae versionis Graecae auctoritas, quae in quibusdam codicibus Hebraei textus sensum deserit, in aliis autem cum eodem consentit, imo nimium aperte sibi met ipsi contradicit. Salva autem si foret ejus auctoritas, vim tamen patitur a Villalpando, quippe non de columnis simul sumtis, sed seorsim consideratis loquens, quemadmodum ex ipsis verbis I. Reg. VII. comm. 15. ἐκὺκλιν ἈΥΤΩΝ & Jerem. LII. comm. 21. κύκλιν ἈΥΤΩΝ patet. Non enim dicit ἐκὺκλιν ἈΥΤΩΝ, neque ἈΥΤΩΝ

SECTIO. VI.

I. Nostram sententiam exprimunt versio Lutheri, Belgica item, Judaica, Vulgata & Gallica, in omnibus citatis locis, Graeca etiam ap. Jeremiam. Villalpandus hic sequi non licet, statuentem quod *columna usque ad capitulum octodecim cubitorum alta fuerit*. Ut clarius mentem ipsius exhibeamus, verba alibi posita huc transcribere lubet. Cap. VIII pag. 427. inquit: *pro certo asse-*

asserendum est, columnam cum capitello altam fuisse cubitos viginti, nam scapus 18 cubitis constat, capitellum 2 cubitis, quantum nimirum est diameter ventris columnae. Huic 20 cub. altae columnae imponenda fuit trabecatio 5 cubitorum, h. e. quarta pars altitudinis columnae. Hujusmodi proportio omnibus templi partibus convenit. Eupolem: fecit quoque 2 columnas aeneas easque auro puro contextit digiti crassitudine, eratque columnarum altitudo par templo. &c.

II. Si capitulum adfuit, columnae totius una cum capitulo altitudinem statuimus decem & octo cubitorum, quae proportio ut quantum ejus fieri potest emergat, sit juxta Archimedem

$$22. 7 :: 12. 3\frac{2}{11}.$$

Vel si Metium sequi mavelis, cum area circuli ad quadratum suae diametri eandem habeat rationem, quam quarta pars circumferentiae ad ipsam diametrum, per Sturm. Mathes. Enuch. lib. 1. cap. VI prop. XLI, fiat

Cub. Cub.

$$355 . 452 :: 3 . 3\frac{201}{355}.$$

erit ergo diameter $3\frac{201}{355}$, quae pro modulo accepta dabit altitudinem $4\frac{161}{226}$ modul: magn. Semidiameter autem $1\frac{324}{355}$ dabit altitudinem $9\frac{48}{113}$ modulorum mediorum.

III. Jam primo intuitu patet, multis partibus minorem proportionem diametri ad altitudinem in ordine sacro fuisse, quam proportio omnium Graecorum, Latinorum, aliorumque recentiorum, si Gothos excipias, qui ante omnia roboris habentes rationem, saepius proportionem non multum diversa fuerunt usi; quem

quemadmodum laudatus Coccejus id confirmari multis exemplis in Belgio posse pro certo affirmat. Quippe Delfis in templo novo columnarum circumferentia decem pedibus Rhinlandicis & uno digito absolvitur, altitudo vero cum capitulo quindecim pedibus & digitis sex cum dimidio; item in antiquiori aede perimenter est duodecim pedum cum duobus digitis, scapus vero cum capitulo quatuordecim pedum, & octo digitorum.

IV. Ea igitur altitudine & diametro columnae posita denuo evincitur, Vitruvium & Graecos ante eum e sacro ordine sua mutuare non potuisse, praecipue si primus omnium Doricus ordo ad saeculum decimum quartum ante Christum, eoque ter centum annos ante Salomonis tempora recte potest referri. Quod si firmo fundamento innixus Salmasius Timotheum Poëtam, qui auro olim alliciebatur ad celebrandam versibus inaugurationem Templi Ephesini, coevum Euripidis Tragici statuit; non potest non tribus demum saeculis, post conditum Salomonis Templum, inventa fuisse dispositio Ionica, *quo genere Vitruvius primum aedem Ephesi Dianae ab Ctesiphonte Gnosio* (quem aliis Cresiphonem, aliis Chrysipponem, aliis Chresipheonem, Straboni Chersiphronem dici Philander notat) *& filio ejus Metagene esse institutam* ex Historia demonstrat; eorum quippe libri, de aede Ionica Ephesi quae est Dianae, eodem Vitruvio teste extiterunt, Praefat. in lib. VII. Vid. haec fusius persequentem Coccejum di- Etolibro p. 784--789 qui non abs re contra Goereum urget, ante hanc Ionicam aedem non fuisse notum a-

E

liud

liud quam Doricum columnarum genus, sex Diametris in altum una cum capitulo protensum, quod Vitruvius omnium antiquissimum fuisse demonstrat.

V. Nostrum non est Chronologiam, quae ex Eusebio hic deducitur, plane deferere, neque in contrarium ut nitamur ulla necessitate adactos nos deprehendimus; potuerunt enim Viri egregii ejusdem aetate, imo potuit ipse antiquioribus monumentis instructus fuisse, unde certiora colligere licuit quam injuria temporum nobis indulget. Imo si res in eo sit, ut Eusebii, & ex hoc depromentis Calvisii fides de aetate Ionis, aliqua ratione dubia reddi ex Historiis possit, tamen contenti sumus, discrimen proportionis in ordine Sacro a Vitruvianis, ejusdemque consensionem cum Gothico, tam clare in Verbo Divino invenisse, ut veritatem sua luce radiare facilimo negotio deprehendatur.

VI. Quod si II. Paral. III. inspicimus, apparet singulare brevitatis studium, quo Auctor libri usus est. Dicit enim Salomonem fecisse duas columnas cubitorum triginta quinque longitudine. Cum autem I Reg. VII. & II Reg. XXV & Jerem. LII perspicue dicatur: קומה staturam sive altitudinem jam erectae & stantis columnae, האמה sive *unius*, fuisse decem & octo cubitorum, verba sane adeo clara sunt, ut ab iis recedere nulla possimus ratione. Sed ארף non necessario columnae *unius jam erectae staturam* sive קומה denotare credimus, cogimur enim hic, volente ita Historiae connexionem, simul sumtarum longitudinem intelligere, dum funderentur, antequam erigerentur, & merito *errasse Nicolaum de Lyra* notat

notat Villalpandus, quod unicuique columnae tribu-
it 35 cubitos altitudinis, quatuor crassitudinis. In-
terim fufas columnas fuisse, verbum 35 fatis in-
dicat. Tam vasti vero corporis moles eadem forma fun-
di bis non poterat. Quapropter credibile est, ante Tem-
plum in humo excavatam fuisse formam duabus colu-
mnis eadem opera fundendis idoneam, quarum singu-
lae septendecim cubitos cum dimidio longae evase-
runt; ideoque dum funderentur, una, quod ajunt, fi-
delia duos parietes pro summa sua prudentia dealbavit
Chiramus. Eodem ferme modo conciliat hanc apparen-
tem contradictionem *Jarchius* ad *I. Reg. VII.*

VII. Coccejus quidem ex defectu partium hic non
memoratarum conciliare diversitatem satagit, cum
Plintho Stylobatae unum cubitum, Stylobatae ipsi
quinque, Coronae unum, Spiraе unum cum quinque
palmis & duobus digitis, scapo octodecim, Capitulo
tres, regulae operis liliacei ('t blokje onder't lelien-
vverk) duos digitos, operi liliaceo quinque cubitos
assignat, quibus partibus in unam summam collectis
prodeunt 35 cubiti, posthabitis minutiis.

VIII. Verum, ut sequi hanc sententiam detrecte-
mus, multa suadent. Namque & Plinthi, & Styloba-
tae, aliarumque partium nulla sit mentio in Sacris,
Quamvis autem fieri possit ut multas partes silentio
transmiserit Spiritus Sanctus, praecipuarum tamen o-
blitus non fuisset; quemadmodum coronamentum ejus-
que ornamenta enumeravit. Salva interim meliori sen-
tentia, nostrae jam datae explicationi inhaeremus,
quam diu commodiorem reperire non datur,

IX. In Villalpando adhuc observamus, ipsum in verborum significatione nihil non moliri, ut a sese excogitatae columnarum formae dicta Sacri foederis accommodet. Ita vero evenit, ut parum sibi ipsi quandoque constet, & lectorem speciosa iconum eleganter pictarum contemplatione occupet, veritatis vero causam non optime peroret. Columna quidem scapum una cum capitulo & basi apud Architectos notare solet, huic autem Viro perinde est: cum de diametro *columnae* sacra pagina loquitur, hypotrachelium ille intelligit summum, si contractionem scapi arctissimam; altitudinem *columnae* metiente Spiritu Sancto, ille *scapum* metitur, eodem cubitorum numero.

X. Peculiaris & a nostratibus diversa proportio nos non obstringit, ut duos capitulo tribuamus cubitos, quot nempe ventri columnae tribuit Villalpandus. Quem humani aliquid hic passum fuisse non dissimulamus. Dum enim diametro ventris columnae duos jam tribuit cubitos, obliviscitur mensurae superius initae, ubi 54 digitos ventri, 50 autem duobus dat cubitis. Palmo igitur superare debuit duos cubitos altitudo capituli, si quidem firmum est fundamentum cui placita sua superstruit. Multo minus igitur *pro certo asserendum* est altitudinem fuisse 20 cubitorum, majorem enim certitudinem requirit Mathematicus.

SECTIO. VII.

I. Eo magis a Villalpando recedimus, quo plura ex
filen-

silentio depromit. *Striatae fuisse* contendit, nam *columnarum*, inqviens, *proceritas quae virginalem imitabatur gracilitatem, earundem striatas stolas esse imitandas suadet. Tum tot tantaeque omnium coronarum & ornamentorum sculpturae respuunt scapi corpus univ-
sum absque ulla sculptura apparere.*

II. Proceritatem eam non fuisse quae virginalem imitabatur gracilitatem suprademonstratum est. Quod ad ornamenta reliqua attinet, de iis deinceps loquendum erit; ea vero exigere necessario, ut scapus fiat striatus, est quod negare non veremur, cum nulla hic appareat connexio ratiocinandi. Quod si Graecis hoc loco imputetur, ipsos e Templo Salomonis didicisse id ornamenti genus, satis superque eos defendit Historia in citatis Vitruvii verbis.

III. Si Villalpandi sectatores in striis perfici putant elegantiam, ipsas etiam strias quam elegantissime fieri potest sculptas ut exhibeant necesse est. Villalpandus autem ad summum fastigium istud decus non evexit, cum idem perfici magis magisque posse nostrae aetatis ingenia docuerint, inter quae longe felicissimum eminet *D' Avilerii*, delicatis sculpturis ipsas striges decorantis. Neque alienum istud ornamenti genus a veterum more fuisse, testatur Arcus triumphalis Constantini & Pantheon. Ut mirum sit, quod Villalpando hujusmodi decora in mentem non venerint.

IV. Nihil autem agit, quando Josephum denuo in partes vocat; *Idem*, inqviens, *testatur Josephus; Corinthium opus vocans, & in verbis: Fecit enim is artifex Chiramus duas columnas aereas cum canalibus cavatione quatuor digitorum, quarum erat proceritas 18 cubitorum.*

Ita Rufinus vertit, &c. ubi non ipsa Iosephi sed Rufini interpretis verba suae favere sententiae confiterur. Salva enim res est, si, quemadmodum ipse inquit, verba Graeca a Rufino diversa potuerunt ab aliquo alio esse mutata, ut sacro textui magis congruerent. Namque eo ipso, dum Sacro textui magis congruunt, a Villalpando magis recedunt, cum de materia metalli agatur qua subintelligi nequeunt striae, non memoratae. De opere Corinthio egimus Sect. IV.

V. Aeque lubrico fundamento nititur argumentum e versione Graeca petitum l. c. Verba enim inde mutata: *crassitiem columnae quatuor digitorum cavitates (sc. circumdabant)* praeter mentem Spiritus Sancti sunt adjecta, neque in omnibus codicibus occurrunt. Eoque magis in dubium vocanda est interpretatio Comestoris, quasi in *in circuitu canales fuerint cavationis quatuor digitorum*. Intus cavam fuisse columnam utramque Jeremias asserit, de hisce vero canalibus altum ubique silentium reperitur. Eoque magis in vanum laboraverimus, *si consensionem partium cum Architecturae praeceptis quaerere hic velimus.*

VI. Pergit quidem Villalpandus: *Strias XXIV. praecipere Vitruvium, quot videlicet in cubito sunt digiti, ex quo fiat ut summi scapi circumferentia, quae sex cubitis definitur, sex digitos tribuat unicuique parti, quae rursus in canalem sive Strigem dividatur quatuor digitorum, & striam duorum. Cavum enim strigem dici, eminentem puram partem vocari striam. Striarum ergo & strigum subduplam fuisse proportionem quam Vitruvius non re-
rulerit. Sed circulus hic committitur, dum pro indubitato ponitur quod probatum non est; quare nec Vitruvius inde corrigendus erat, qui sibi quam optime constat.*

VII. Vitruvius autem non adeo rigoroſe praecipit Strias XXIV, ut neque excedere unquam hunc numerum liceat, neque minorem aliquem adhibere. In Doricis enim columnis XX tantum, in Corinthiis iſiſmet XXIV requirit, ita tamen ut alium non excludat numerum. Dicit enim lib. IV. cap. 5. *In concluſo aëre, ſi quae extenuatae erunt, non discernentur graciliores; cum exterioribus fuerint ſtriae XXIV, in his faciendae erunt XXVIII aut XXXII.* Unde non patet XXIV tantum requiri, cum proportio tantum formetur, quomodo augendus ſit in concluſo aëre ſtriarum numerus, quando exterioribus columnis fuerint XXIV. Non tamen nos fugit, ordinarie XXIV adhiberi ſtrias, verum dantur etiam certi caſus certaeque circumſtanciae, quando XX ſufficiunt.

VIII. Caeterum quo jure Vitruvius fundamenti loco ponatur non videmus, cum denuo a ſacro ordine abiſſe cenſeatur in proportionem ſtriarum & ſtrigum ſubdupla, quam conſtare non poſſe videns Villalpandus, addit: *In planis quidem ſtriis nihil plus quam ex tertia, nihil minus quam ex quarta apertionis canaliculi parte fieri verum eſt. At in iis, quae extantibus in mediis ſtriis Aſtragalis exornantur ſiunt ex dimidia & non minori ſtrigis parte; aliqua ex majori.* Ut exempla in Pantheon & aliis Romae templis docent quae ex ſacris fabricis deſumpta conjicimus. Sed quemadmodum planas, ita & Aſtragalis ornatas ſtrias in ſacro Codice fruſtra quaeriveris, ideoque reſcit diſputationis circulus unde coeperat.

IX. Quodſi Pantheon & alia Romae templa ex ſacris fabricis deſumpta fuiſſe affirmandum eſt, non perſpici-

spicimus quid Romanos moverit, ut aedificia publica, in quibus nullum non splendorem affectabant, imperfecto, ut Villalpandus vocat, struendi genere erigerent, cum dissimulare neutiquam potuissent, unde hauserint regulas. Quin potius credibile foret, ipsos amore jam recepto abiisse, & singularia quamplurima, si quae Hierosolymae observassent, v. g. triglyphos in ordine Corinthio &c. imitatos fuisse.

X. Sin vero concesserimus adfuisse strias, forte paucioribus contentos esse mira crassities permittet ex eadem ratione quam Vitruvius affert, dicens: *quod detrahitur de corpore scapi, striarum numero adjecto adaugebitur ratione, quo minus videbitur, & ita exaequabitur dispari ratione columnarum crassitudo. Hoc autem efficit ea ratio, quod oculus, plura & crebriora signa tangendo, majore visus circumitione pervagatur. &c.*

X. Satis autem habemus abstinere conjecturis nimis. Interim uti Villalpandi circa strias monita laude sua non fraudanda esse censemus, si nostratum columnarum proportionem spectes; ita tamen non convincimur Salomonis Templo eas decus attulisse, cum superius demonstrata proportio id ornamenti genus necessario non requirat.

XI. Nondum quidē omni ex parte perfuncti sumus labore quem haecce postulat consideratio. Longe enim plura adhuc restant, quae difficultate involvere curiosum lectorem omnino possunt. Sed habenda ratio temporis est, quae nos tandem in publicum prodire jubet. Itaque filum hic aliquid antea abrumpendum est, & nobis in crassitie atque altitudine columnarum aenearum demonstrata acquiescendum. Propediem alacriores ad sequentia progressuri, quantum ejus fieri potest ad finem properabimus. Namque ipsius materiae dignitatem perpendentibus, partienda potius videtur consideratio, quam desultorie tractanda.

05 A 1312

ULB Halle

3

003 780 805



1017

014



54

Q. R. V.

De

COLUMNIS
AENEIS TEMPLI
SALOMONIS
JACHIN ET BOAS
PRO LOCO

*in Ordine Phil. legitime obtento
differet*

PRAESES

AUGUSTINUS VAGETIUS,
RESPONDENTE
FRANCISCO JOANNE GERDES,
Hamburgensi,

In Auditorio Majori
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
Die XVIII. Julii A. AE. C. M. DC. XCV.

VITEMBERGAE,
Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typogr.

